





11
1.
2.
3. d
7
4. 1
5.
6. 1
m



1796.

1. Gradambicis, Augustus Maximus: De vita et sanitate foetuum et neonatorum conservanda.
2. Grote, Georgius Augustus: De relocatione et reconditione lactis operarum maxime quosque et in quo tempore ista censatur.
3. Happestedt, Conradus Wilhelmus: De jure circa fructus fendi aperti ante ejus reinfestationem maxime intentum expectativarii.
4. Komel, Fredericus Wilhelmus: De causis obligationis ex edenda instrumenta in genere a maxime vindictis immunitatis rei ~~et~~ ab editionis onere.
5. Martia, [Christ] R[ichard] J[ohann]: Antiquarium praedictorum Verlesungen.
6. Rantzel, Ludovicus: Quanta jure Hamburgensi in causis mercatoris editas et suprema imperii tribus alia patentis.

7. Martini, Christoph. Reint. Vietor.: De iuste suspensendi
iudices de expensis seu via Aussetzung des Kosten-
puncts.
8. Schwegler, Christianus: Principia doctrinae de
bonorum confiscatione quatenus ea cum stricto jure
naturali tam aequitatis atque utilitatis auxiliis
videntur.
9. Schuetze, Johann Wilhelm: Origines et fata doctrinae
de egressu liberorum ex potestate parentum
10. Stasch, Carolus Fredericus: De commerciorum favore
in jure tam publico quam privato Francofurtensi conspi-
cuis.
11. Tittmann, Carolus Augustus: De ambitu et limitibus
juris supremae inspectionis e natura rei et princi-
piis juris publici tam universalis quam Germanici
rite ponentis

12. ^{de} Wattenwyl, de Malessert, Cor Lud. Observations
quædam de re judiciaria Bernensi.

1797.

1. Boettcher, Gaspard Henricus: Caroli Traugott Gellert
Schoenemann . . . summus utriusque juris honores
. . . in eum collatos gratulatur . . . Proponitur inter-
pretatio legis 63. 87. 8. 9. D. ad S. C. Trebell.
2. Drees, Uelricus Fides: De acceptationis, quam
vulgo vocant, necessitate in donationibus nostris
causa
3. Gebhardi, Petrus Ludr. Rudolphus, lib. 6. 10: Principia
generalia de concursu
4. Tenisch, Christian Fides Jacobus: Quatenus a proco-
gata per conventionem jurisdictione recedere
liceat sine ad l. 18 §. de jurisdictione.

5. Reiche, Franciscus Arnold: Exploratio quaestiones
quae nam sit vis investiturae eventualis, accedente
vasallo principalis consensu impetratae?

6. Schroenemann, Carol. Franz. Grollus: De foro in ca-
sis & concordatis decidendis competente. passim.

DISSERTATIONIS IVRIS PVBLICI ECCLESIASTICI

1797, 6

DE FORO
IN CAUSIS E CONCORDATIS
DECIDENDIS COMPETENTE

18

PARS PRIOR



Q V A M

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS AVCTORITATE

AD

SVM MOS IN VTROQVE IVRE HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXI SEPTEMBRIS MD CCLXXXVII

PVBLICE DEFENDET

CAROL. TRAVG. GOTTLOB SCHÖNEMANN

REG. BIBLIOTHECAE CVSTOS.

GOETTINGAE

LITERIS IO. CHRISTIANI DIETERICH.

Prof. Martin Wolff



INSTITUTIONS - JAMES WALKER
DE FORO
IN CAUSIS E CONCORDATIS
BLEDUNO COMPENSATIS
TABELLA
A. D. 1711
A. D. 1712
A. D. 1713
A. D. 1714
A. D. 1715
A. D. 1716
A. D. 1717
A. D. 1718
A. D. 1719
A. D. 1720
A. D. 1721
A. D. 1722
A. D. 1723
A. D. 1724
A. D. 1725
A. D. 1726
A. D. 1727
A. D. 1728
A. D. 1729
A. D. 1730
A. D. 1731
A. D. 1732
A. D. 1733
A. D. 1734
A. D. 1735
A. D. 1736
A. D. 1737
A. D. 1738
A. D. 1739
A. D. 1740
A. D. 1741
A. D. 1742
A. D. 1743
A. D. 1744
A. D. 1745
A. D. 1746
A. D. 1747
A. D. 1748
A. D. 1749
A. D. 1750
A. D. 1751
A. D. 1752
A. D. 1753
A. D. 1754
A. D. 1755
A. D. 1756
A. D. 1757
A. D. 1758
A. D. 1759
A. D. 1760
A. D. 1761
A. D. 1762
A. D. 1763
A. D. 1764
A. D. 1765
A. D. 1766
A. D. 1767
A. D. 1768
A. D. 1769
A. D. 1770
A. D. 1771
A. D. 1772
A. D. 1773
A. D. 1774
A. D. 1775
A. D. 1776
A. D. 1777
A. D. 1778
A. D. 1779
A. D. 1780
A. D. 1781
A. D. 1782
A. D. 1783
A. D. 1784
A. D. 1785
A. D. 1786
A. D. 1787
A. D. 1788
A. D. 1789
A. D. 1790
A. D. 1791
A. D. 1792
A. D. 1793
A. D. 1794
A. D. 1795
A. D. 1796
A. D. 1797
A. D. 1798
A. D. 1799
A. D. 1800



Conspectus totius argumenti.

Causarum e-Concordatis oriundarum duplex genus

I. agitatarum INTER IPSOS PACISCENTES. *Excludunt cognitionem iudicis tantum non omnem.* CAP. I. §. 1.

Vertuntur

1. de mente eorum: *Controuersiae sensu stricto.* Interpretatio fieri debet iuncto utriusque partis consilio, §. 2.

a) neque Germanis quidquam, §. 3.

b) neque Pontifici, inuita altera parte licet. §. 4.

2. de attentatis contra clara Concordatorum verba: *Grauius.*

A. ex parte Germanorum. §. 5.

Tolli debent

1. vel Archiepiscoporum potestate, §. 6.

2. vel summi Iurium totius Imperii protectoris imploratione, qui

a. vel amicabiliter cum Pontifice tractet, §. 7.

b. vel auctoritatem suam interponat,

α. prohibendo

n. Ministris Pontificiis, quo minus ex mandatis procedant,

z. Statibus Imperii, quo minus eos adiuent.

β. proscribendo ipsos Curiae Ministros extra fines Imperii. §. 8.

B. ex parte Pontificis,

contra singulos Ordines ex pacto velut lege publica Imp. obligatos. *Remedium non in censuris ecclesiasticis, sed apud Summa Imp. tribunalia quaerendum.* §. 9. 10.

II. INTER PRIVATOS;

A. Solos,

I. Litigantes

a. vel de possessione,

b. vel de iure. CAP. II. SECT. I. §. 11.

Hic incidit QVAESTIO DE COMPETENTIA FORI, explicanda ex natura Concordatorum,

1. qua negotii ciuilib,

2. qua legis Imperii. Vnde adstruitur

COMPETENTIA FORI SAECVLARIS, — §. 12-15.
et quidem (P. II.)

1. primae instantiae, *iudicis territorialis*;

2. secundae instantiae, *Summorum I. tribunalium*.

a. Quorum concurrens iurisdictio probatur

α. ex natura caussarum,

β. ex limitibus et ambitu iurisdictionis vtrique
competentis.

b. Conflictus

α. euitandus praenentione; sin minus

β. tollendus recursu ad Comitum.

II. Conquerentes de violatione Concordatorum manifesta. Ibi
locum habet

1. imploratio Iudicis Supremi, ad vtrumque I. tribunal de-
ferenda;

2. officium procuratoris fiscalis Caesarei.

B. Priuatorum contra laesiones Curiae Romanae. Hic patet Recur-
sus ad Imperatorem tamquam Eccl. G. Protectorem.

Disputatur contra Celeb. HEDDERICHIVM.

DE FORO
IN CAUSIS E CONCORDATIS DECIDENDIS
COMPETENTE.

INTRODVCTIO.

Diuturnas inter Pontificem Romanum et Nationem Germanicam de iuribus, quae sibi propria pars quaeque olim asserebat, querelas et grauamina pactis Romanis *) et Aschafnaburgensibus, vel si lubet Vindobonensibus anni 1447. si non compositas, consopitas tamen, vel etiam nouis modis attemperatas esse, nemo in rebus Germanicis non plane hospes ignorat. Exinde vero status causae mutatus iuriumque atque obligationum conuersio inducta est, qua si forsán Germania nostra melius caruisset, nunc tamen acquiescere partaque tueri praestat, quam iniustus molitionibus ea subuertere et de restituendo statu pristino via non legitima cogitare. Id certe in ambiguo esse non

*) Alias *Francofordensibus* seu rectius *Moguntinis*. Sed praeplacet *Romana* appellare cum Celeb. editore *Sanctionis Pragmaticae Germanorum illustratae*.

potest, pristinum iurium Papalium in Ecclesia Germanica titulum iam non amplius sollicitari debere, sed standum esse transactioni vel pacto, in quo recens illa fundata sunt eo vsque, donec inter vtrumque paciscentem aliud quidpiam placuerit et conuentum fuerit; vt adeo non minus illi suis se opinionibus fallant, qui post detectas Pseudoisidori fraudes Germanos pactis non amplius obligari profitentur, quam Curiae Romanae mancipati, concessa in Concordatis pro meris priuilegiis Pontificalibus venditantes. Neque vero obiici debet, quod querelarum ac controuersiarum super et ex Concordatis cum Pontifice initis per tria et quod excurrit saecula non minor quam olim copia extiterit: quandoquidem exploratum atque experientia multifaria compertum sit, Germanos, modo sibi ipsis non defuerint, in vindicandis via legitima iuribus suis raro successu caruisse, et si interdum contrarium acciderit, querelas propterea non in vniuersam nexus cum Pontifice Romano conditionem, vtpote quae pacto semel constituta ex vnius arbitrio immutari nequit, sed in nosmetipsos et impedimenta domestica dirigi debere.

E contrario illa ipsa praesidia remediae, quibus quicquid iurium ex Concordatis Nationi Germanicae vniuersim, vel singulis eius ciuibus quaesitum est, legitime tueri saluumque praestare licet, nemo non videt tanto maiori digna esse studio, quanto magis nostra interest, vt tum fundamentis illa quam firmissimis nitantur, tum quam maxime expeditus earum vsus sit, ne, vbi applica-

tionem opus est, de vi aut forma aut competentia eorum haesitemus; id quod non raro magno cum damno suo litigantes experti sunt.

Est ex hoc genere grauissimi per se momenti, et rerum vsu magis etiam nobilitata quaestio: *de foro, in quo causas et concordatis decidendas ventilari oporteat*, cuius tractationem nec inutilem, nec ab hoc academico scribendi genere alienam fore existimamus. Vberius quidem in eodem argumento pro rei necessitate explicando iam versatus est celeberrimus causae Leodiensis inter Baronem de Weichs et Baronem de Collenbach patronus b. DE ZWIERLEIN *). Nobis autem imprimis propositum est tum fundamenta huius doctrinae curatius adstruere, tum vero, quod vel Conspectus commentationis nostrae docet, singula quae laesis ex Concordatis pro quavis iniuria auertenda competunt remedia, probe inter se discernere, quandoquidem experientia demonstrat, ex huius distinctionis neglectu firmissima principia vel posthabita, vel etiam in dubium esse vocata.

*) In Deductione pro fundando Recursu ad S. R. I. Comitum nomine Celsiss. Principis Leodiensis exhibita sub titulo: *Examen litis inter Baronem de Weichs ab vna et Baronem de Collenbach atque Dnum Cardinalem de Bernis eiusque nepotem de Pierre de Bernis ab altera parte in duobus supremis Imperii Tribunalibus puncto praepositurae in Hansinne agitatae. Annexis fundamentibus Recursus ad Senatam Comitiorum S. R. I. 1780. fol. repetita in REVSSE Deductions- und Urkunden-Sammlung P. I. p. 109 seqq.*

Duplex genus causarum e Concordatis prouenientium. I. INTER IPSOS PACISCENTES agitatarum. Excludunt iudicis cognitionem tantum non omnem.

§. I.

Causarum ex Concordatis oriundarum duplex potissimum visio est. Oriuntur enim omnes siue *inter ipsos paciscentes*, Summum Pontificem scilicet et Nationem vniuersam seu Imperium Germanicum, *siue inter priuatos, quorum interest*. Primi generis controuersiis vtrumque Concordatum, tam Moguntinum seu Romanum, quam Vindobonense ansam praebet, nec minus illae iurisdictionis ecclesiasticae in Germania formam legitimam, appellationum abusus, illicitos recursus et id genus alia, quam prouisionum materiam concernunt; secundum genus, quod praxin beneficiorum in Germania vnice attinet, Concordatis solummodo Vindobonensibus regitur, exceptis causis fiscalibus, quae in vtroque, ceu legibus Imperii fundantur. Primi generis porro etsi diuersa admodum ratio est, prout vel de verborum vi et mente, iuribusque inuicem quaesitis decertant, vel contra literam ac claram mentem Concordatorum pars aliqua se laesam conqueritur: neutra tamen species decisioni iudiciariae obnoxia esse videtur; siquidem dictos paciscentes, qua tales, superiorem ac iudicem non agnoscere, intellectu pronum est. Fortasse autem non erraueris, si singulos Status Concordata inter Nicolaum V. et Fridericum III. amplexos, dum summo Pontifici debita

praestare renuerint, Imperatoris iurisdictioni subesse, adeoque etiam causas ex hoc capite dari contendas, quae forum sortiantur. De quibus ut amplius constet, sigillatim sed breuiter omne hoc causarum genus perlustremus.

§. 2.

Redeunt nimirum quae *inter paciscentes* agitantur causae ad duo capita. I. Aut enim *de mente Concordatorum et verborum vi dissidium est*; quae proprie *Controversiarum* nomine sunt appellandae. Hic expeditum est, interpretationem non ad vnam partem spectare, neque adeo Pontificis vnius admittendam esse, nec Germanis solis eam competere. Pacti vis non aliam nisi amicabilem compositionem admittit. Neque enim video qui titulus satis potens dari possit, ad aequalia in his vtriusque partis iura infringenda.

§. 3.

Vix quidem dubium est, quin parum ex hac via spei sit ad concordiam inter vtramque partem promouendam. Neque tamen iis assentiri possum, qui ut Germanis gratificentur, locum esse volunt regulae, *interpretationem faciendam esse contra eum, qui clarius loqui debuisset*. Nam ut nihil dicam, quam anceps hoc iudicium sit, definire, cui ex his paciscentibus incubuisset clarius loqui; applicationem eius ibi tantum locum habere patet,

B

vbi index adsit siue competens, siue per compromissum constitutus *).

§. 4.

Ex altera parte Pontifici nec illud quidem licere potest, vt bullas acceptationis instrumenti Moguntini interpretetur; si quidem literae papales non per se solae, sed vna cum propositionibus Moguntiae conceptis, quibus respondent et quibuscum vnum demum ac commune instrumentum efficiunt, spectari debent **). Multo minus igitur attendendae sunt declarationes, quae manifestam in scribente fraudem et circumueniendi studium arguunt,

*) Neque adeo iudici inter priuatos de iure ex Concordatis litigantes applicatio huius regulae concedi potest, vt statuit DE ZWIERLEIN Deduct. laud. §. 38. p. 19. Iudicis enim sententia cum ius tantum inter partes constituat, non potest praecidium facere iis, quae inter ipsos Paciscentes in controuersiam vocantur.

**) Propter hoc Senatus Iudicii Imp. Aulici Bullam Gregorii XIII. de a. 1576. qua ad excludendum ius Ordinariorum Collatorum de beneficiis Pontifici in mensibus alternis reservatis disponendi, a Nicolao V. iis concessum, *si non apparuerit intra tres menses a die notae vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo Apostolica auctoritate prouisum fuerit*, sufficere declarauerat, si alicubi appareat, verba *in loco beneficii* cum proxime antecedentibus *notae vacationis* coniungens, — publice reprobauit et irritam haberi iussit. *Reichs-Hofl. Conclus. v. 3. Jul. 1747. in Vollst. Samml. v. Actis publ. etc. unt. Franz I. Tom. 6. c. 5. p. 206. Bulla Pontificia extat in Bullario Cherubini T. II. p. 438.*

quale si suboluisset, tractationem ipsam perimere debuisset. Nam cum omnibus pactis insit honestatis conditio, cumque bullae pontificiae non ad placitum, sed secundum postulata Germanorum redditae sint, comiter sane cum Pontifice Germani agunt, si neglectis Curialistarum, quibus ipsi memoriam summorum Pontificum proscindunt, ausis, fidem datam amplectuntur. Atque hoc consilium secuti sunt Capitulationis Leopoldi II. conditores insertis Articulo XIV. *) verbis, quibus Concordatorum Moguntinorum, quae proprie Principum audiunt, et Decretorum Basileensium in iis acceptatorum valor vindicatur, Curiaeque Romanae nuperis commentis de verborum Bullae Eugenianae *donec etc.* sensu, ut par est, occurritur; tametsi ipse Pius VI. Germanorum quorundam scriptorum, Curiae Romanae profecto hoc ipso non fauentium, argumentatione illa tueri non dubitavit **).

§. 5.

II. Aut vero *contra literam et clara Concordatorum verba aliqua tentantur*, vel a Summo Pontifice, eiusue Officialibus: de quibus querelae *Grauaminum* infausto nomine Germanis nimis notae sunt et longo exemplorum agmine conspicuae; vel a Germanis, saltem *singulis*, qui non penitus Concordata Vindobonensia reiecerunt, *Ordinibus*.

*) CROME *Wahlcapitulation Franz II.* p. 188. *Protocoll der Wahlconvention.* B. II. p. 8. 9.

**) Vid. *Responsio Pii VI. ad Metropolitanos Germaniae.*

Prius dum contingit cum manifesta iurium Nationi vniuersae quaesitorum violatione, ad Summi iurium totius Imperii Protectoris curam pertinet, qui speciatim quoque iura haec ex Concordatis quaesita sarta tectaque praestare quauis Capitulatione spondere solet. At priusquam ad Imperatoriam Maiestatem recurritur, remedium aliud suppetit, de iure saltem, licet raro cum effectu adhibitum. Quippe Archiepiscopis vniuersis et cuius eorum plena potestas est, annullandi et cassandi quidquid per Pontificem vel alia quauis auctoritate in praeiudicium vel laesionem decretorum Basileensium in Germania acceptatorum vnquam statui seu concedi contingat, poenas item, quae forte desuper prolatae fuerint, relaxandi omniaque in statum pristinum reducendi, quaeque (in dictis decretis) statuta fuerint, conseruandi, manutendi et defendendi, contradictiones per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, toties quoties ipsis visum fuerit, inuocato etiam ad hoc, si opus sit, auxilio brachii saecularis. Ita quidem olim stipulata est Natio Germanica a Summo Pontifice, cui adhaesio pro tempore facienda esset, in Auisamentis Moguntinis a. 1441 *)

*) Quibus Decretis Basil. iam a. 1439. acceptatis firmiter adhaesit, quaeque vna cum ipso instrumento acceptationis in bulla Eugenii desuper data, agnita sunt et confirmata. Cf. IAC. ABEL *disquisitio de iure et officio Summorum Imp. Tribunalium circa usurpatoriam Nuntiorum Pontificiorum in causis Germ. ecclesiast. iurisdictionem* (Wetzl. 1787.) §. 141. pag. 156 sq.

idemque vt facerent, Metropolitanos Germaniae recens adhortatus est, et omni sua auctoritate se eos tuturum promisit gloriosissimae memoriae Imperator Iosephus II. *)

§. 7.

Quod si nihilominus illos in hoc impediri contingat, vt fere, ob causas in vulgus notas, solet **); tunc ipse

*) In circulari, quod Congressui Emsano occasionem dedit, ad Metropolitanos Germaniae propter nunciaturas d. d. 12. Octobris 1785. (adiecto HEDDERICHI *Elem. Jur. Can. P. IV. p. 232.* et IACOBI ABEL disquisitioni supra I.) ; „*Da ich diese meine Gesinnungen, Ew. Liebden hiemit eröffne, so rufe ich dieselbe zugleich auf, alle ihre Metropolitan- und Diöcesan-Rechte sowohl für sich, als auch durch Verständigung ihrer Suffraganen, dann bestehenden exemten Bischöffe, gegen alle Anfälle aufrecht zu erhalten, und all dasjenige, was immer Einschreitung oder Eingriff des Päpstlichen Hofes, oder dessen Nuntien, wider solche Rechte, und die gute Ordnung seyn könnte, standhaft hindan zu halten, worüber ich zugleich denselben allen meinen kaiserlichen Beystand, Freund- Brüder- und gnädiglich zusage.*“ et in literis ad eosdem datis de 16. Nouemb. 1786. „*Von meiner vollständigsten Mitwirkung und Handhabung nach dem ganzen Umfange des Kaiserlichen Reichs-Grundgesetzes, lichen Kirchenschutzes belieben Ew. Liebden eben so versichert — zu seyn etc.*“

**) Vtinam omnes exemplum Summorum Archiepiscoporum et Electorum Coloniensium Maximiliani Henrici, Iosephi Clementis, Clementis Augusti, et Maximiliani Friderici in destruenda illegitima iurisdictione Nuntiorum Pontificiorum imitarentur et constanter tuerentur! Vtinam vero Serenissimi Principis moderni Archiepiscopi et Electoris Coloniensis conamina restituendi in

Imperator adendum est, qui Pontificem de Curiae ausis moneat, et vt a contrahendo Concordatis desistat, hortetur, vel auctoritatem suam ad abolendas iniurias illatas interponat. Olim quidem hae querelae ad Conuentus et Comitia Imperii delatae ab Ordinibus, velut ex causa communi granatorum, consensu Imperatori commendari consueuerunt. Interdum ipsi etiam Ordines Grauiamina Pontifici exponebant vel cum Legato aliquo ad hoc misso, vix vnquam auspicato, tractabant. Ac hodie quoque non raro Senatus Comitiorum Imp. in partes vocari solet *), aut saltem Collegii Electoralis intercessio apud Imperatorem sollicitari **).

§. 8.

Imperatoris vero auxilium vario modo sese explicare potest. Non desunt quidem exempla praestitae a Pontificibus ad literas Caesareae Maiestatis querelarum et Grauiaminum abolitionis, nec vnquam illi cessarunt promptos se ac paratos declarare *ad inuectos in exercitio solitarum facultatum abusus tollendos* ***). Longe saepius autem in

provincia sua Iudicium Synodale, Decretis Basileensibus *de Causis* et Concilio Tridentino conforme, successu non essent destituta.

*) Vid. DAHM *de iure comitiorum Imp. circa Sacra*. Mog. 1747. in *Thes. iur. Eccles.* T. 5. Recentis memoriae est *Kurköllnisches Promemoria an die RVersammlung, den Nuntius Pacca betr.*

***) Prostant literae collegiales Electorum pro Concordatis tuendis ad Imperatorem datae a. 1764. apud DE CRAMER, in *Nebenstunden*. T. 48.

***) Verba Pii VI. in *Responsione ad Metropolitanos Germaniae*.

verbis solis promissum stetit. Efficacius tunc idem Pontificis in Germania ministris missis de Curia executoribus interdicat, quo minus mandata sua exsequantur. Statibus item singulis tam ecclesiasticis, quam saecularibus, qui iniuste se fautores eorum praebent, iniungit, ut adinuare illicitos eorum ausus desistant, subditisque suis, quo minus eis obtemperent, manusue ad officia praestanda porrigant, interdicant *). Denique ipsos Curiae ministros, si pernicacius in contemptum summae potestatis ciuili et iurisdictionis ecclesiasticae et territorialis agere pergant, de finibus Imperii proscribit atque exulare iubet **).

§. 9.

Sed et *Pontificis iura laedi possunt*, sin minus ab vniuersa Natione, certe ab iis, qui, quoniam publicae obligationi accesserunt, debitores Sedis Romanae facti sunt. Ad quae intelligenda repetenda est memoria pactionis inter Nicolaum V. et Fridericum III. initae. Constat autem, non omnes ac singulos Status, sed nonnullos tantum Concordatis, qualia instrumentum Vindobonense exhibet, assensum praebuisse; et quamuis postea ab aliis sint

*) Huius tenoris est *Reichs-HofR. Conclus. v. 27. Febr. 1787. die von den päbstl. Nuntien zu München und Köln neuerlich gewagten Aumeßungen und Eingriffe in die Erz- und Bischöfl. Diöcesanrechte betr. imprimis Art. 3tio: Rescribatur dem Herrn Kurfürsten zu Pfalz etc.*

**) Exemplum statuit Carolus VI. Imp. in proscribendo Nuntio Pontificis iurisdictionem Coloniae affectantis a. 1736.

agnita et in ipsis Legibus Imperii confirmata, alii tamen constanter conditiones eorum recusarunt: vt non sine iure aliqui dubitare sibi visi sint, an vniuersa Natio Germanica subiectum iurium et obligationum ex Concordatis oriundarum haberi queat. Sed vt dicamus quod rei et legibus Imperii consonum est, Concordata a Frederico III. et qui eidem accesserant Statibus, cum Nicolao V. inita habent vim *pacti in fauorem tertii* *). Pactum erat scilicet, vt conditionibus, quae placuerant, vniuersa Natio frui posset, saluo singulis Imperii Statibus accipere vellent nollentue arbitrio. Adeoque cum alii prorsus immunes ab hoc nexu manserint, alii itidem, Euangelici scilicet, ab eodem iure suo se liberauerint, vniuersam Nationem potius, quam singulos Status pro subiecto iurium et obligationum ex hoc pacto deriuandarum habendam esse recte affirmamus.

§. 10.

Hinc autem necesse sequitur, singulorum Statuum, qui Concordatis adhaeserunt non eandem, ac vniuersae Nationis rationem esse; quin potius singulos in hoc non iure gentium, quod alias in pactis quibusuis cum exteris iis competit, frui, nec tamquam ipsi pro se quisque cum Pontifice pactum inierint, considerari posse, sed ex eo,

*) Vt calumniae et cauillationis species absit, verba attendito. Nequaquam illa *pactum in fauorem tertii* esse dicimus, sed habere vim eius, scilicet vt indolem obligationis ex iisdem proficiscentis declarem.

quod vniuersa Natio praestandum in se susceperit, tanquam ex lege Imperii obligatos esse, adeoque etiam iudicem agnoscere debere, qui totius Imperii supremus est. Quapropter huius generis causae, quae ipsos Paciscentes attinent, non omnino fori et cognitionis iudicialis expertes esse intelligitur, et sicubi Pontificis iura ab aliquo Ordinariorum laedi contigerit, e. c. si Ordinarius aliquis Concordatis Nicolai V. cum Friderico III. adstipulatus beneficia Romanae Sedi iuxta alternatiuam mensium reseruata ante lapsum trium a nota vacatione mensium; — vel omnia ac singula ad Romanae Curiae collationem ex dictis Concordatis pertinentia abs indultu papali conferret: Summus Pontifex haud quidem censuris ecclesiasticis aliisue remediis ex plenitudine potestatis procedere, sed forum rei, Summa scilicet Imperii tribunalia sequi, aut saltem apud Comitum Imperii reum facere *) tenetur. Sed haec tantum obiter. Accedimus iam ad eas causas, quae proprie huius libelli finem constituunt.

*) Haud plane absonum hoc a moribus exterorum principum esse, notauit MOSER in *Auswärtig. StaatsR.* Lib. IV. c. 12. §. 7. p. 338.

CAP. II.

*Causae INTER PRIVATOS agitatae. Quae proprie iudiciali
cognitioni subiacent.*

SECTIO I.

Quod sit fori earum fundamentum.

§. II.

Iudicis cognitionem recipiunt causae, quae *inter pri-
vatos, quorum interest*, agitantur. Priuatorum autem
nomine intelligimus omnes, in quos respectus pacti con-
venti non cadit, adeoque ciues Imperii omnes, siue me-
diatos, siue immediatos, vel inter se, vel cum exteris, vel
de iure, vel de possessione ex norma Concordatorum com-
petente litigantes; aut de vi contra eadem, ceu legem
Imperii illata conquerentes. Has inter genus longe fre-
quentissimum constituunt controuersiae eorum, qui iurium
suorum titulum, ex Concordatis maxime Viindobonensibus,
quibus decreta Basileensia de beneficiorum collatione mo-
dificata sunt, tuentur; siue iuribus illi nitantur Nationi
Germanicae per eadem quaesitis, siue iura sua a Pontifice
Summo deriuent. Vtrique vel Imperii Germanici ciues,
vel exteri esse possunt, vtrique certe iurisdictionis for-
mula compescuntur, atque adeo de controuersiis eorum
quaestio, *cuius fori sint*, oritur.

§. 12.
 Ad hanc enodandam vide ne inanem curam impendas, *causarum* circa quas versantur *naturam*, vel *personarum*, inter quas agitantur, *statum* circumspectando. Verum quidem est, quoad materiam omnes huiusmodi causas, quae ex Concordatis inter priuatos in disceptationem adducuntur, *beneficiales*, adeoque natura sua ecclesiasticas esse, et iudicis ecclesiastici iurisdictione in petitorio saltem comprehendi *). Nec magis dubium esse potest, quin personae, quae de beneficiis litigant, ex qualitate status forum iudicis ecclesiastici sequantur. Aequè verum etiam, quod neque illae naturam aliam induant, neque hi statum suum mutant, propterea quod ex Concordatis legem accipiant. Neque tamen ad fundandam iurisdictionem haec considerasse refert. Quin potius ad competentiam fori adstruendam non tam *causarum*, quae definitae sunt natura, quam vniuersi negotii, quo definiuntur, indoles spectari debet.

§. 13.
 Pacti natura et Paciscentium qualitas maxime consideranda. In tractationem autem deducta fuerant Ecclesiae Germanicae commoda et Sedis Romanae iura variis titulis colorata. Paciscentes erant ex vna parte Summus Pontifex de iuribus Primatus non essentialibus, sed accidentalibus et variis modis quaesitis, — valide adeo trans-

VAN ESPEN Part. II. Tit. 33. c. 9. BENEDICTVS XIV. de Synodo
 Dioecessana Lib. IX. c. 9. p. 312.

igens *); ex altera parte non ipsa Ecclesia Germanica per Hierarchas suos repräsentata, sed Imperator ac Status Imperii, qua tales, vi iuris circa sacra iuribus Ecclesiae prospicientes. Neque enim vertebatur res mere spiritualis, quippe quae natura sua pactionem excludit, sed negotium erat de bonis ecclesiarum, iurisdictionis ecclesiasticae finibus et moderatione aliisque iuribus non minus civitatis quam ecclesiae salutem concernentibus, quaeque si non originetenus ex Imperantis concessionem repetenda esse dabis, certe supremæ potestatis civi-
 curam et protectionem non modo non respuebant, sed quam maxime desiderabant. Habes ergo *negotium civile et saeculare*, de cuius materia quaecunque lites et querelae inter priuatos oriuntur, ad *iudicis saecularis* competentis *cognitionem et decisionem* pertinent.

§. 14.

Sed et *legis Imperii publicae* auctoritatem ex eadem ratione Concordata tam Moguntina quam Vindobonensia sustinent, eandemque et Imperatoris et Ordinum consensu et declaratione solemniter tuentur**). Hinc item est, quod

*) Apposite auctor *Principior. Iur. publ. eccles. Catholicor.* (NELLER) c. 12. de Concordatis monuit, hoc, quod Pontifices in Concordatis a multis praetensionibus recesserint, vel solum argumento esse, petitiones eorum non fuisse omnes iuris diuini.

***) Vid. quae supra de suscepta ab vniuersa Natione ex Concordato Vindobonensi obligatione disputauimus. Declarationes Capitulationis Caesareae, Ordinationis Iudicii Imperialis Aulici aliarumque legum imperii vberius allegare nil attinet.

omnes per Imperium Germanicum cives ac subditos Romano-Catholicos perpetua obligatione adstringant, et iudicis, cui legum publicarum interpretatio et applicatio specialiter mandata est i. e. *Saecularis* foro subiiciant, eosdemque, si quid in praeiudicium eius tentauerint, legum violatarum, aut in specie violatae Iurisdictionis Imperii coram iudice saeculari reos faciant *).

§. 15.

Atque his principiis praxis Summorum Imperii Tribunalium est conformis; vtinam vero a Romana Curia ea non negligerentur. Illa certe non magis seuerè iurisdictionis saecularis Imperii violationem et contentum Mandatis S. C. inhibitoriis et cassatoriis, quid, quod Banni Imperialis poenae aduersus refractarios comminatione vindicant **), quam sancte custodiunt, vt causae omnes in Concordatis non fundatae apud iudicem competentem ecclesiasticum terminentur, easque, sicubi praetextu infracto-

*) In pari casu versantur causae ecclesiasticae per Pacem Westphalicam definitae, in quibus similiter non causarum indoles, sed negotii, quo definiuntur, vis spectatur ad forum iudicis saecularis fundandum. Neque hic qualitas legis Imperii deest, accessitque specialis sanctio de hisce controuersiis ad iudicium Camerale deferendis in *Instr. Pac. Osnabr.* art. V. §. 53. Cf. G. L. BÖHMER in *Princip. iur. Can.* §. 240.

**) Exempla praebebit pars posterior huius Commentationis.

rum Concordatorum ad se delatae fuerint, ad fora ecclesiastica remittunt *).

Ex parte contraria Rota Romana quidem Concordatorum Germaniae obseruantiam in Decisionibus suis nunquam non vrgere solet, ac frequenter Auditores eius sententiae suae additis argumentis, quod Concordatis contrariae non sint, cauent. Sed huiusmodi declarationes nimis facile ad interpretationem momentorum controuersorum extenduntur, quae quidem, dissentiente licet ANTONIO SCHMIDIO **) nunquam tuto Romanis tribunalibus concedi potest; praesertim cum Summa Imperii tribunalia tam religiose inuigilent, vt nihil ad Romanum forum de iure pertinens iniusto ausu illi detrahatur; illa vero vix vnquam illicitos Recursus sponte reicere sustinuerint.

Sed hic gradum sistimus. Reliqua, quae conspectus huius commentationis ostendit, seruabit particula altera, quamprimum alia occasio scribendi dabitur emittenda.

*) Ita MOSERVS in *Reichs-Staats-Handbuch auf die J. 1769-75.* B. I. p. 425. *In Sachen Goyens contra Praepositum et Capitulum Ecclesiae Collegiatae B. M. V. Moracci, nec non Aegid. la Peye Mandati puncto Infractionis Concordatorum Nationis Germanicae, wurde vom Reichs-HofR. erkannt den 10. Jun. 1771.* Casum Concordatorum hic non subesse; daher die Sache ad Iudicem ecclesiasticum ordinarium remittiret wurde. Recentissima exempla suppeditat auctor libri (DE RIEFFEL) *der Reichshofrath in Justiz-Gnaden- u. and. Sachen* T. III. n. 87. pag. 297.

**) In *Institut. Iur. Eccl.* T. I. p. 90. ed. tertia.

T h e s e s.

I.

Ius in sacra Domini territorialis Euangelici non ex superioritate territoriali, sed vnice ex pacto repetendum est.

II.

Societas ecclesiastica Protestantium vniuersa propter mutatum vel pro parte vel penitus systema fidei, quod olim professi sunt, iuribus suis in Imperio Germanico per Pacem Religiosam et Westphalicam quaesitis excidere non debet.

III.

Circa nullitates in causis ecclesiasticis Protestantium commissas Summa Imperii tribunalia rectè iudicant.

IV.

Beneficia per resignationem extra Curiam vacantia Episcopus, qua Indultarius Pontificis conferre nequit.

V.

Poena adulterii ad malitiosam desertionem vxoris non est extendenda.

VII.

Locator colono iacturam repentinam fructuum iam perceptorum passo ad remissionem mercedis non tenetur.

VIII.

Donatio quingentos solidos excedens iudici incompetenti valide insinuari nequit.

IX.

Distinctio modorum tollendi obligationes ipso iure et ope exceptionis, nec in foro amplius usum praestat, nec in systemate facile ferenda est.

X.

Venditor, emtione ex lege commissoria rescissa, partem pretii solutam non lucratur.

XI.

Restitutio in integrum etiam aduersus parentes locum habet.





Göttingen, Diss., 1796-97

ULB Halle
005 303 338


3



SB

W 18







DISSERTATIONIS IVRIS PVBLICI ECCLESIASTICI
DE FORO
IN CAUSIS E CONCORDATIS
DECIDENDIS COMPETENTE

PARS PRIOR

Q V A M
AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS AVCTORITATE

AD
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
RITE CAPESSENDOS

DIE XXI SEPTEMBRIS MDCCCLXXXVII
PVBLICE DEFENDET

CAROL. TRAVG. GOTTLOB SCHÖNEMANN
REG. BIBLIOTHECAE CVSTOS.

GOETTINGAE
LITERIS IO. CHRISTIANI DIETERICH.

H. Prof. Isidor Wolff